



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VII. Ad quos pertineat potestas eligendi, quando Capitulates elegerunt indignum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. VII.

Ad quos pertineat potestas eligendi, quando Capitulares elegerunt indignum?

IN casu hujus §. vel aliqui tantum Capitulares indignum scienter elegerunt, vel omnes; si aliqui tantum, potestas eligendi penes illos remanet, pro hac vice, privatis aliis, qui in electionem indigni non consenserunt, licet numero pauciores sint, quia in his, etiam si unus tantum esset, remanet jus Collegii *Gloss. in c. perpetuo 7. h. t. in 6.* Ita ut possint h. pauciores in tali casu vel statim, eodemque contextu, decretum electionis suae, si in ea persistant, promulgare, vel novum Scrutinium inchoare, exclusis illis, qui indignum scienter elegerunt. Si vero omnes deliquerunt indignum eligendo, potestas providendi, in Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis ad Summum Pontificem, pro eâ vice, de jure antiquo devolvitur, uti & in Ecclesiis inferioribus ad eum superiorem, cujus est electum confirmare, *c. quamquam 18. h. t. in 6.* Quae devolutio etiam fit in eo casu, quo in secunda electione delinquant, indignum eligendo, qui in prima electione non deliquerunt, cum in tali casu etiam poenam privationis incurrant *c. bona 23. juncta Gloss. V. & non h. t.* quae tamen poena, nec ab his, nec ab illis incurritur, nisi subsequuta sit communis electio, ex votis male eligentium, ita ut, quamvis Scrutinium publicum sit, poenam tamen hanc non incurrant, sed ad aliud Scrutinium procedere possint, cum verba poenalia non loquantur de solo Scrutinio indigni, sed de electione indigni,

ut constat etiam ex *cit. Capit. perpetuo 7. h. t. in 6.* possunt tamen, si volint, qui soli habiles sunt in tali casu eligendi Praelati, etiam illos ad coeligendum admittere, qui propter indigni electionem pro illa vice privati sunt jure eligendi, uti notat *Gloss. in c. cum Vinconiensis 25. V. admiserant, h. t.* Cum privatio talis fiat in favorem dignè eligentium, cui cedere possunt. Sive tamen ad hanc secundam electionem gratiose admissi fuerint, qui propter indigni electionem pro ea vice jure eligendi privati fuerunt, sive exclusi fuerint, ad tertiam tamen electionem, si tertia facienda est, eò quòd secunda effectum suum sortita non fuerit, admitti debent, ut Pontifex decidit *in cit. c. cum Vinconiensis 25. h. t.* cum isti suspensi non sint ab officiis, quorum actus est electio, sed jure eligendi tantum sint privati pro una vice.

§. VIII.

De Electione à Capitulo factâ in discordia, concurrente postulatione; factâ, partim de persona dignâ, partim de indignâ.

SI postulatio, & electio concurrant in discordia, ita uti aliqui Capitularium v. g. eligant, alii postulent aliquem, ut admitti possit postulatio facta de digno, rejectâ electione, requiritur, ut duae partes postulantium in postulandum consentiant, prout superiore *tit. §. 4.* jam dictum, & habetur in *c. scriptum 40. h. t.* si verò indignum postulaverint duae partes, quem ignorabant tamen indignum, eligentium verò tertia pars, vel minor etiam dignum elegerint, reprobatur tam postulatio quam electio, illa quidem, quia